Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Hillo t. D. d. i. d. s. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor
animam suam dat pro ouibus. Mercenarius autem qui non est pastor cui
non sunt oues proprie uidet lupum uenientem. et dimittit oues et fugit.
Et lupus rapit et dispergit oues. Mercenarius autem fugit quia
mercenarius est. et non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bo-
nus. et cognosco meas et cognoscunt me mee. Sicut nouit me
pater. et ego agnosco patrem. et animam meam pono pro ouibus
meis. et alias oues habeo que non sunt ex hoc ouili. et illas oportet
me adducere et uocem meam audient. Et fiet unum ouile et unus
pastor. Dnica iij. Lectio. E. b. Petri Apli.
Carissimi. Obsecro uos tanquam aduenas et peregrinos abstinere
uos a carnalibus desideriis que militant aduersus animam. conuer-
sationem uestram inter gentes habentes bonam. ut in eo quod detrac-
tant de uobis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus uos con-
siderantes glorificent deum in die uisitationis. Subiecti estote
omni humane creature propter deum. siue regi qui precellenti. si-
ue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum lau-
dem uero bonorum. quia sic est uoluntas dei. ut benefacientes obmu-
tescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. quasi liberi et non
quasi uelamen habentes malitiae libertatem. Sed sicut serui dei. Om-
nes honorate charitatem diligite. Deum timete. regem honori-
ficate. Serui subditi estote in omni timore domino. non tantum
bonis et modestis. Sed etiam discolis. Hec est enim gratia. in xpo
ihu domino nro. Sdm iohn.
Hillo t. D. d. i. d. s. Modicum et iam non uidebitis me. et iterum
modicum et uidebitis me quia uado ad patrem. Dixerunt ergo
ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc quod dicit nobis modi-
cum et uidebitis me. et iterum modicum et uidebitis me. quia uado
ad patrem. Dicebant ergo. quid est hoc quod dicit modicum